

Dissertatio medica, inauguralis, de amenorrhoea ... / eruditorum examini subjicit Robertus Harding.

Contributors

Harding, Robert.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vcn2bpbv>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
AMENORRHOE A.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS HARDING,
HIBERNUS,


Societ. Physic. Chir. Soc. Hon. et Praef. Ann.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURG:I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

18



—etc

Patruo suo dilectissimo,

R O B E R T O H A R D I N G,

De Dromsally in Comitatu Limericensi,

A R M I G E R O,

In perfectae gratitudinis tesseram,

Ob summa in se collata beneficia,

Cum omnigenae prosperitatis adprecatione,

Hocce opusculum

D. D. Cq.

A U C T O R.

Библиотека

СИБИРСКАЯ БИБЛИОТЕКА

БИБЛИОТЕКА УЧЕБНОЙ КОМПЛЕКСА

БИБЛИОТЕКА

БИБЛИОТЕКА УЧЕБНОЙ КОМПЛЕКСА

БИБЛИОТЕКА УЧЕБНОЙ КОМПЛЕКСА

БИБЛИОТЕКА

БИБЛИОТЕКА

БИБЛИОТЕКА

ДИССЕРТАЦИЯ МЕДИЧЕСКАЯ
DISSESSATIО MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

QUEMADMODUM patet omnes foeminas, omnibus regionibus, Lunae tributum solvere, sic etiam constat, quod, si a quacunque praeternaturali causa fistatur menstruus fluxus jam incep-tus, vel etiam si intra 14 et 18 aetatis annum plane non adpareat, varia oriantur phaenomena morbofa, quae eo, quo se prodant ordine, jam liceat enumerare.

Ægra, omnium primo, oscitationibus, ac pandiculationibus, una cum lassitudine et

A debilitate,

debilitate, corripitur. Puella antea in saltum prona, jam fessa jactitat membra, et in somnum inclinat; somnus vero hic non recreat, sed ingenti comitatur inquietudine, interdum etiam noctem insomnis degit. De sensu ponderis in regione lumborum, nec non de doloribus ad anteriorem abdominis partem, et ad femora sese extendentibus, ac parturientium referentibus, conqueritur aegrota; turgentes mammae dolent; capitatis dolor, vertigo, visus hebetudo, tinnitus aurium, surditas, et dolores totius corporis vagi, symptomata sunt, quae, si non constanter, saltem frequentissime torquent. Nausea, vomitu, ruminatione, et aliis dyspepsiae symptomatibus, afficitur. Appetitus saepius mirum in modum augetur; et res non esculentae, carbones nimirum, creta, aliaque, avide ab aegrota desiderantur. Alvus plerumque dura est, interdum vero diarrhoea oritur; urina primo pallida, morbi progressu turbida et flavo colore tincta evadit. Spiritus difficile trahitur, et, si acclivem tramitem ascendere tentat,

tentat, respiratio valde fit anhelosa, una cum coarctationis et stricturae circa pectus sensu ; tussis frequens, brevis, et irritans, interdum adest. Pulsus, initio satis plenus, debilis evadit, frequens, et facile irritabilis ; cor palpitat, et praecordiorum oritur anxietas. Interdum vero hysteria, saepius autem ejusdem morbi anomala symptomata aegram afficiunt. Cynanche et affectiones aphthosae ac erysipelatosae nonnunquam superveniunt ; sanguis, cui per naturalia exitus jam denegatur, haud raro per nares, oculos, aures, gingivas, ventriculum, vesicam, mammae, ulcera, &c. egressum quaerit *. Fluor albus interdum in morbo nostro adest ; et menorrhagia larga aliquando illum consequitur.

Nec defunt exempla epilepsiae, apoplexiae, imo etiam maniae et fatuitatis subortae. Facies, praesertim autem labia, pallida evadunt et sublivida ; oculi, illi animi indices, hilaritatem et splendorem suum amittunt,

* Boerhaav. Aphorif.

mittunt, et caliginosi atque obscuri mentem diro moeroris jugo oppressam denunciant. Frequenter horrore, subsequente, nocturno imprimis tempore, calore et sudore torquetur aegra ; pedes, ut et aliae corporis partes, oedemate, mane non evanescente, afficiuntur. Chlorotica demum evadit misera, cachexia et hydrops superveniunt, et anima jam altiora petit loca, corpus gelidae humo unde ortum est relinquentis. Plura vel pauciora horum in omnibus fere amenorrhoea laborantibus adfunt ; omnia enim in una eademque foemina vix ac ne vix quidem occurrunt.

DEFINITIO.

Menses, tempore quo fluere solent, vel solito parciores, vel non omnino fluentes, citra graviditatem, cum lumbagine, cephalalgia, dyspnoea, &c.

DIAGNO

D I A G N O S I S.

Etsi nullus mihi occurrat morbus quem inter et amenorrhoeam distinctio non facile patet, attamen operae pretium erit, inter amenorrhoeam idiopathicam atque symptomaticam limites ponere. Verum enim vero, amenorrhoea symptomatica tam multis atque inter se diversis causis originem debet, ut, in omnibus casibus, distinctionem indicare per difficile omnino ducamus; est vero quodam prodire tenus, si non datur ultra. Sic illam amenorrhoeae speciem quae adeo frequenter, in ultimo phthiseos stadio occurrit, ab idiopathica distinguendi non multum nobis faceffit negotii; tuffis enim, expectoratio, et alia symptomata hectica, quae mensium obstructionem praecedunt, differentiam clarissime indicant, et amenorrhoeam hancce non nisi symptomaticam esse, extra dubitationis aleam ponunt. Res tamen longe aliter se habet, in illis amenorrhoeae speciebus,

speciebus, quae vel a praeternali quadam partium conformatione, vel sub tempore graviditatis, oriuntur. Inter priores, omnium frequentissima illa est, quae imperio hymeni natales debet, quamque, mirum dictu! per annos durasse legimus, accumulantibus scilicet intra uteri cavitatem mensibus, et adjacentes partes corrodentibus *. Si virgo, adhuc non menstruata, confueta mensium eruptionis symptomata, per duas vel tres periodos patiatur; si abdomen ejus tumeat, cum ponderis sensu ad perinaeum fese extendente, et si symptomata haec tempore intermedio non evanescant, haud absque probabili ratione praeternaliter clausum esse hymen credimus, id, quod dígito facillime exploratur. Veram amenorrhœam ab illa, quae graviditatis tempore occurrit, distinguere, res magni omnino momenti est, sed difficilioris indaginis. Certe, si quibusdam auctoribus crederemus, parum commodi ex hac ipsa distinctione expectandum

* Vide Morgag. Ep. 47.

dum foret, quum abortus, ex inconsulto medicamentorum emenagogorum usu, metus, primaria sit causa, cur adeo solicite illarum differentiam quaeramus. Hunterus vero, illud Britanniae decus, in elegantissimis suis de utero gravido präelectionibus, quibus interfuisse laudi mihi duco, sibi nulla cognita esse medicamenta, quae abortum producere valent, rotunde afferit.

Huic vero opinioni opponere liceat celeb. in arte obstetricia viri Young auctoritatem, qui caute cum purgantibus mercandum esse monet, ne abortus inducatur. Metum, nec non alia violentiora animi pathemata abortum produxisse, universali fere praticorum testimonio constat; vis electrica, et alia quaecunque, quae sytema violentius agitant, eundem praestant effectum; patet hinc distinctionis necessitas. Mulieres nuptae, quae antea utero gefferant, satis certo conjicere possunt, utrum a graviditate pendeat mensium obstructio, nec ne; res vero longe majoris momenti est, si foemina conjugali non nexa est vinculo, et

se gravidam esse celare optat ; hoc enim in casu, medicum una cum caeteris decipere haud dubitat ; summa igitur cautela opus est, ne vel fortioribus varii generis medicamentis abortum producamus, vel, graviditatem falso suspicantes, obtrectatorum latratis et innocuam virginem, et nosmet ipsos, exponamus. In graviditate, nausea matutino imprimis tempore adest ; nec adeo molesta est ac illa, quae circa menstruas periodos oritur ; tempore graviditatis, per duas vel tres menses solummodo, idque in initio, haec ipsa nausea persistit ; in amenorrhoea vero, per totum morbi decursum periodice revertit et remittit, subsequentibus aliis phaenomenis morbosis. In graviditate, abdomen circa tertiam mensem tumere incipit, qui tumor versus medium abdominis partem, veluti acuminatus videtur, et, si digito venia concedatur, os uteri molle invenitur. Faciei color, graviditatis tempore, quam in amenorrhoea, vividus magis ac naturalis est, et, circa tertiam vel quartam mensem, motus ipsius foetus plerumque

rumque percipi potest. Omnia vero haec signa valde incerta sunt; de fama igitur mulieris folcite inquirendum, et opinionem nostram caute proferamus.

CAUSAS REMOTAS

In praedisponentes et occasioales, sive excitantes, distribuerunt pathologi.

PRAE DISPOSITIO.

Omnibus bene notum est, foeminas debilis imbecillisque habitus, quae vitam degunt sedentariam, quaeque sanguinis ex utero profluvia atque abortus perpeſſae sunt, huic morbo praecipue obnoxias evadere. Mulieres quoque, quarum matres vel mensium suppressione vel menorrhagia laboravere, morbo nostro haud raro infestantur. Viragines, nec non illae, quas moe-

ror aliaque animi pathemata torquent, in amenorrhœam facile incidunt. Eo validior autem evadit praedispositio, si causae jam allatae in foeminas operantur quae coelibem vitam agunt.

CAUSÆ EXCITANTES.

Inter omnes fere auctores convenit, nec nostræ repugnat experientiae, frigus variis corporis partibus, potissimum autem pedibus, admotum, frequentissimam hujus morbi causam esse. Venaefectio a quibusdam inter causas numeratur excitantes ; et verum quidem est, quod venaefectio adstantibus mensibus celebrata amenorrhœam inducere valeat ; an vero alio quodam tempore eundem producat effectum, haud certo constat ; sed de hoc fusius infra agendum est.

Ille est inter animum et corpus indissolubilis nexus, ut, illo affecto, in sympathiam trahatur

trahatur hoc, illo perturbato, morbo quoque hoc laboret; quaecunque animum debilitant, eundem in vitales pariter ac animales corporis functiones exserunt effectum: Hinc mirum non est, varia animi pathemata, metum puta, moerorem, iram, atque gaudium, nec non de particulari quadam re nimiam curam ac solicitudinem, inter causas amenorrhoeae excitantes haud infimum sibi vindicare locum. Causis etiam adnumerare oportet victum varii generis, vel qualitate, vel quantitate ineptum; huc vero imprimis pertinent lac, pisces, praecipue ex salmonis genere, fructus acidi et austeri, nec non substantiae pingues et unguinofae. Haec omnia a mulieribus ipsis tanquam noxia evitantur; id, quod a quibusdam, et magni omnino nominis medicis, praecognitis vulgi opinionibus tribuitur; me vero judice, bonis atque haud spernendis nititur observationibus; enimvero quis nescit lac, pisces, &c. flatibus ac acido in primis viis originem praebere, variaque inducere

-ducere symptomata, quae imminutum testantur ventriculi tonum?

Jam autem quum constet, tantum esse ventriculi cum utero consensum, ut, uno horum morbo laborante, afficiatur quoque alter, actionis nuper enumeratarum causarum explicatio facilis evadit.

C A U S A P R O X I M A.

Hanc sanguinis lentori ac visciditati, extrema uteri vasa obstruenti, quidam retulere medici. Quum vero directis experimentis existentia hujuscē lensoris nunquam probata fuerit, quumque, si vel possibilem supponamus, illarum tamen mensium suppressionum, quae ab animi pathematibus, temporis veluti momento oriuntur, causa esse nequeat, illam ex toto, tanquam absconam, praeterire licet. Est vero alia causa, quae majorem prae se fert probabilitatis speciem, et de qua nunc quaedam dicenda sunt. Sed

prius

prius pauca de menstruorum theoria pre-mittenda.

Dantur adhuc duae theoriae, quae in hunc usque diem multos habuerunt patronos ; de universali ac partiali plethora me loqui nemo non videt. Varia pro unaquaque harum militant argumenta, quaeque jam enumerabimus, et omnibus demum inter se collatis, nostram tradere opinionem, qua decet modestia, conabimur. Qui a plenitudine universali menses repetunt, ad phaenomena illa imprimis attendunt quae totius systematis indicant affectionem ; sunt vero haec : Capitis dolor, oculorum inflammatio, mammarum intumescentia, haemorrhagiae vicariae, mensium in nutribus absentia, languor et universalis veluti ponderis sensus, quae circa menstruationis tempus obtinent. Observant porro foeminas, ob laxiorem corporis habitum, sanguinis superabundantiam facile contrahere, quae, etsi foetus nutrimento a natura benefica designata, eo tamen tempore quo gravida non est mulier, e corpore eliminari debet,

debet, id quod per menstruam evacuacionem fit. Credunt etiam per hanc theoriam optime explicari, cur circa 14 vel 15 aetatis annum prorumpant menses; variis nimurum corporis partibus jam evolutis, uterus, utpote debilioris laxiorisque texturae, sanguinis impulsui alio quocunque organo minus resistet. Qui a partiali plethora menses originem ducere existimant, longe aliter calculos suos subducunt. Contendunt, nempe, dolorem lumborum, nec non molestiae et ponderis in regione uteri sensum, quae mensium eruptionem non modo praecedunt, verum etiam comitantur (immo, *sola adsunt*, id quod de capitis dolore, caeterisque symptomatibus universali bus, minime dici queat) topicam congesti onem lucide indicare. Symptomata illa quae pro plethora universali militare videntur, puta capitis dolorem, mammarum intumescentiam, &c. partialis plethorae patroni sympathiae retulerunt; et probabilem hanc esse hujus rei explicationem, in subsequenti capite ulterius demonstrare tentabimus. In praesenti

praesenti observare licet, doctrinam de sympathia in hoc casu ex eo confirmari, quod quatuor vel quinque sanguinis unciae, per menses evacuatae, plus afferant levannis variis doloribus mensium eruptionem praecedentibus, quam sexdecim per venae-sectionem detractae. Unicuique etiam qui vel primis labris praxin medicam gustaverit constat, foeminas saepe, supervenientibus mensibus, nycthemeri spatio ab omnibus fere symptomatibus, amenorrhoeam concomitantibus, liberari, quum forsan haud ultra duae vel tres sanguinis unciae evacuatae fuerint. Sed haec veluti per transennam dicta sunt, et ad argumenta pro plethora partiali revertamus. Qui huic doctrinae addicti sunt, ulterius observant, largas et repetitas venae-sectiones, plures vel pauciores ante menstruam periodum dies celebratas, mensium eruptionem haud impedire. Huic argumento plethorae universalis fautores regerunt, corpus humanum potestate praeditum esse, sanguinis jacturam, ea qua perditur proportione (ad certam quantitatem) reparandi;

parandi ; vix autem crediderim ingeniosos hos viros unquam demonstraturos, systema nostrum, unius diei spatio, sanguinis libram regeneraturum, quae certe quantitas ante menstruorum eruptionem nonnunquam detrahitur. Ad mensium in lactantibus suppressionem quod attinet, notandum est, eam a defectu sanguinis per uterum eliminandi minime pendere ; enimvero, si res sese ita haberet, necessarium omnino esset, lactis secretionem sanguinis ex utero evacuatione impediri, hoc autem non fieri omnibus notum est ; quis enim ignorat lac haud raro in mammis sese prodere, dum utero adhuc gerat mulier ? Quis unquam negavit lac in puerperis fecerni, lochiis vel large fluentibus ? Aliae igitur hoc phaenomenon debetur causae ; sed de hac postea. Plethoram ideo in foeminis generari, ut foetus nutrimento inserviret, subtili satis ratiocinatione evincere conatus est celeb. Friend *. Sanguinis quantitatem, unaquaque menstrua periodo effusam, ad viginti uncias computat clarissimus vir, hancque

summam

* Emmenolog. p. 7.

summam novies multiplicatam, neonati pondus generaliter aequare opinatur, ideoque menstruum sanguinem, tempore graviditatis, in foetus nutrimentum impendi ingeniose concludit. Utcunque speciose rationem iniverit eruditissimus Friend, hypothesin tamen ejus rejiciendam putamus. Difficile quidem est menstrui sanguinis quantitatem accurate determinare ; ex plurimis autem observationibus, hunc in finem factis, haud ultra quinque vel sex uncias unaquaque periodo excerni, certo satis colligere licet ; insufficiens fane (secundum Friendii hypothesin) foetui alendo quantitas. Novimus, porro, robustas rusticas, parce admodum menstruantes, gemellos facilime utero gerere, beneque nutritos, in lucem edere ; et, licet singulus horum minor forsan sit solo natu, simul tamen sumpti illum magnitudine valde superant, et multo plus nutrimenti requirunt ; necessarium autem hoc nutrimentum rusticae hae foeminae urbanis laxis ac plethoricis facilius foetibus suis praebent, id quod non solum ex rusticis

corum foetuum magnitudine, verum etiam ex rariss admodum in rusticis mulieribus abortus casibus, abunde constat. Universalem plethoram menses primo producere, actione vero vasorum uterinorum, vi con- fuetudinis inducta, illas dein continuari, quidam statuerunt; verum, si res sese ita haberet, menstruus fluxus mulieribus adeo universalis minime foret, nec omnibus eadem fere vitae periodo contingenteret; diver- sa quoque vivendi ratio multo magis in mensibus modificandis valeret, quam quod revera obtinet; nec sufficiens mihi ratio constat, cur non haemorrhoidalia in viris vasa circa pubertatis tempus etiam affice- rentur, quum distentioni haud secus ac ute- rina, vi structurae suae, favent. Cullenus, consummatissimae eruditionis vir, eandem quam jam refellere conati sumus, tuetur opinionem. Uterus, inquit, ea est sys- matis pars, quae omnium ultimo evolvitur; hinc sanguis ad hoc viscus justo majori quantitate determinatur, et vasa rumpendo haemorrhagiam producit. Pace vero il- lustris

lustris Praeceptoris, observare licet, corpus, tempore quo primo sese prodant menstrua, minime perfecte evolutum esse ; certum enim est puellas, etiam post mensium eruptionem, magnum corporis accipere incrementum. Argumentis pro plethora partiali sic pro virili refutatis, propriam (sit venia verbo) de hac re opinionem tradamus oportet. Ita a natura ordinatum esse existimamus, ut mulier, antequam concipere posset, menstruam subiret evacuationem ; et foeminam nunquam peperisse, quae non primo menstrua passa fuerit, omnino credimus. Non equidem contendo, cruentas menses huic fini semper necessarias esse ; sufficit enim si humor ferosi generis ex utero stillaverit. Tempore autem pubertatis, certum ovarii induci statum, vel, si velis, certam in illis excitari actionem (oscillationem vocat celeb. Whytt) supponimus, quae actio, utero communicata, sanguinis evacuationem, vel potius secretiōnem, producit ; nihil enim, me judice, obstat, quo minus uterus velut organum secretorium

cretorium considerari possit. In defectu vero actionis vasorum uterinorum, unde nulla sit ad haec determinatio, nullaque in iis secretio, vel etiam in spasmo extremitatum horum vasorum (actione illorum salva adhuc manente ac integra) causam amenorrhoeae proximam consistere opinamur; et remediorum operationem hisce principiis explicare tentabimus.

R A T I O Q U O R U N D A M S Y M P T O M A T U M .

Variorum hujus morbi symptomatum reddere rationem opus fane est difficillimum, et, qui id tentarunt operam adeo perdiderunt et oleum, ut consultius omnino videatur materiam hanc sicco praeterire pede, et ad res majoris certitudinis statim progredi :

“ Nam littus carpere remis

“ Tutius est multo, quam velis tendere in altum.”

Quo

Quo minus vero hoc caput plane intactum relinquamus, mos vetat antiquus; in paucorum igitur symptomatum rationem breviter inquiremus.

Mammarum intumescentia. — Intimum esse mammarum cum utero consensum, innumeris fere exemplis constat. Consensum hunc a communicatione arteriarum mammariarum cum arteria epigastrica pendere Boerhaavius aliique crediderunt; Hallerus vero, physiologorum princeps, potiori jure illum sympathiae retulit nervosae. Diximus, in amenorrhoea uterum officio suo secretorio rite non fungi, hoc est, oscillationem vasorum uterinorum impeditam esse; hinc, per consensum nervorum irritatio et oscillatio in mammis producuntur; unde, vi derivationis, illarum tumor. Hoc admisso ratiocinio, mensium lactationis tempore cessationem intelligimus; phaenomenon vero hoc, per resistentiam aliquam sanguini in arteria epigastrica factam minime explicari potest; hoc enim in casu nulla post puerperium effet lactis secretio, quoniam

quoniam tunc libera sunt uterina vasa, sanguinique exitum haud denegant. Novimus tamen, lege quadam naturae sanctum esse, ut actio in mammis excitetur, unde major humorum ad has partes determinatio lactifque secretio. Actio haec variis ex causis augeri potest, quod in nutricibus patet, quibus mammis admoto infante, etiam antequam papillam tetigerit, lac ex tumente mamma propullulat. Eodem quo fluunt lochia tempore, lactis peragitur secretio, phaenomenon certe, quod contra doctrinam de plethora, ut antea observatum fuit, multum militat; nostrae autem theoriae minime contrariatur; lochia enim, utpote haemorrhagia passiva, nullam uteri requirunt actionem, ideoque actionem, in mammis ad lactis secretionem necessariam, non impediunt.

Epilepsia, Apoplexia, Mania.—Haec symptomata sanguini per uterus hoc in morbo non abeunti, et hinc in cerebro accumulato, omnes fere retulerunt medici. Raro autem hoc fieri, haud immerito credimus.

dimus. Ex duabus amenorrhoea laborantibus, quas ipse vidi, una in apoplecticum statum vergebatur, altera autem vera corripiebatur mania. Pulsus earum, caeteraque omnia symptomata, debilitatem haud insig-
nem indicabant, et anatomico cultro mani-
acae subiecto cadavere, cerebrum ne mini-
mum congestionis exhibuit indicium. Non
equidem negaverim, apoplexiam et epilep-
siam a sanguinis in cerebro congestione ori-
ginem aliquando duxisse; nos vero in mo-
bilitate systematis nervosi, inordinatam va-
forum cerebri actionem excitante, epilepti-
corum symptomatum causam quaerimus;
apoplexiam autem collapsi tribuimus. Ill.
Cullenus, de epilepsia in praelectionibus suis
agens, eandem fovet opinionem; en ipfius
verba: ‘ But, with regard to eruptions
‘ and small ulcers, the retention of the mat-
‘ ter cannot be supposed to act by inducing
‘ plethora; the disappearance of these ope-
‘ rate merely, because it takes off an action
‘ of the vessels of the surface, which, by
‘ long habit, became necessary to the ba-
‘ lance

'lance of the system,' systematis scilicet nervosae.

Sanguis per Nares, Oculos, &c.—Hisce phaenomenis, veluti basi pro plethora universali nituntur argumenta; et fatendum omnino est, primo intuitu verosimile videri, sanguinem, cui per uterum exitus haud patet, per alias vias abitum quaesitum; revero paulo serius pensitata, *vicarias hæcce haemorrhagias* longe aliam sibi vindicare explicationem, facillime patebit. Primo omnium observare licet, haemorrhagias illas, de quibus jam loquimur, non in recenti amenorrhoea fese prodere, sed ubi longius duraverit morbus, et non nisi raro admodum in amenorrhoea emanationis obtinere. Supponamus autem haemorrhagias has ab universali plethora, vel a sanguine e utero in generale systema reverso pendere, annon sequeretur praeter naturalem sanguinis quantitatem ad cerebri, pulmonum, aliarumque partium vasa laxa ac debilia potius, quam ad rigidiora cutis, stomachi, et oculorum, determinari? Re ipsa vero longe aliter fieri,
testis

testis est experientia. Recensita phaenomena sanguinis acrimoniae originem debere celeb. Whytt opinatus est. Doctrina autem de circulantium humorum acrimonia, jam temporis adeo universaliter rejecta est, ut celebratissimi viri opinionem refutare supervacaneum ducamus. Nos vicarias has haemorrhagias ab eadem, ac ipsas menses, repetimus causa, ab oscillatione nempe in illa parte excitata, unde proruat sanguis. Nimirum, naturali in utero oscillatione suppressa, lege naturae ordinatum esse credimus, ut similis in alia quadam corporis parte excitetur oscillatio. Haec autem oscillatio in ea oriatur parte necesse est, quae vel summam cum utero habet sympathiam nervosam, vel morbosam eo tempore gaudet irritabilitate. Intelligimus hinc, cur adeo frequenter ex ventriculo sanguis profluat; cur ex ulceribus in superficie corporis sitis interdum stillaverit, et denique cur haemorrhagiae vicariae periodice revertantur. Opinionis nostrae quo majus adhuc concilietur robur, ill. Baronis Van Swieten citare

liceat verba. "Solet, inquit, quidem plerumque hoc haemorrhagia, explicari, quod per plethoram distenta vasa rumpantur quandoque, vel et nimis dilatata, absque ruptura, per anastomosin sanguinem emittant. Sed tamen inde non patet evidenter, quare in plethora, a suppressis mensibus nata, hoc contingat frequentius, quam si ab aliis causis nimia copia sanguinis accumuletur in corpore. Ad 1284 dictum fuit, a sola plethora menstrui fluoris causam deduci non posse, cum sanguinis missiones non impedian, quo minus solito tempore menstrua prodeant. Eadem illa causa, quae aperit vasa uterina, 'quam me ignorare lubens fateor,' si applicetur aliis corporis vasis, idem facere poterit. Illam autem causam, qualiscunque fuerit, in vasis ipsis esse, et non pendere a cordis impellentis vi, facile demonstratur. Licet enim cor regulariter agere pergit, in quibusdam arteriis observatur tamen quandoque motus perturbatio, quae saepe haemorrhagias praecedit, de qua re in morborum auctorum historia faepius die-

tum

tum fuit. Sic pulsatio in ulcere percepta designat *," &c.

P R O G N O S I S.

Ex variis quibus humana fabrica cruciantur morbis, vix ullus forsan est, cuius evenitum difficilius praedicaveris, quam amenorrhoeae. Quotidiana constat experientia, morbum nostrum, etiam dum a levi fatis causa ortum duxerit, experientissimum medicorum indefessam curam, et optimorum remediorum vim, haud raro resistere; interdum vero, ast proh dolor! rarius, sibi relictum, inopinato feliciter terminasse. Nec defunt exempla chloroticarum, mortis imaginem referentium, de quibus actum esse omnino dixeris, ad pristinam tamen sanitatem, profluentibus mensibus, cito redactarum. Prognosin igitur caute admodum

* Comment. ad Aphor. 1286.

dum in hoc morbo statuendam, quis non videt? Si longius duraverit mensium suppressio, nec ab evidenti causa ortum duxerit, perdifficilem et fere impossibilem fore sanationem omnino monendum est. Praefagiūm hoc eo probabilius evadit, si circa menstruam periodum, dolorem in regione uteri, vel ad haemorrhagiam molimina quaedam haud experiatur aegra; ejusmodi enim dolor et molimina energiam quandam in utero adhuc supereesse, morbumque notabili hujus organi vitio non deberi, testantur. Si nupta sit aegrota, malum; plurimi enim et quidem optimi rei medicae scriptores raro (nec latet ratio) in hoc statu morbum nostrum oriri asserunt; non tamen defunt qui contrarium contendunt. Quae leucorrhœa concomitant mensium obstrœctio, sanatu plerumque difficilis est, nec raro uteri praenunciat cancrum, imprimis si constans et lacinians adsit in hoc organo dolor. Si subito suppressæ fuerint menses, pessimus certe praefagiendus eventus; enimvero hinc apoplexia,

plexia, epilepsia, mania, &c. nonnunquam oriuntur ; cuius exempla tria, haud longe abhinc, ipse in Nosocomio Edinensi vidi : Erant nimis menses suppressae in una ex aqua gelida fluentibus mensibus hausta, in altera vero, ex immani ira. Patet hinc quantam sui curam circa hoc tempus gerere debeant mulieres, quamque caute, dum fluent menses, cum medicamentis mercandum sit. Ut vero breves simus, observare licet, de duratione morbi nostri ex remediorum inefficacia, ex symptomatibus quae circa consuetam menstruorum periodum sese prodant, nec non ex tempore quo jam persistenterit morbus, judicandum esse ; felicem autem vel infaustum eventum ex effectibus morbi, apoplexia, nempe, cachexia, &c. praedicendum esse.

METHODUS MEDENDI.

In immensum cresceret pagina, si omnia remedia, quae ad menses producendas adhiberi solent, recenseremus ; haec modo, quae hodiernis

hodiernis in usu sunt, qua fieri potest brevitate, pertractare animus est.

Cura amenorrhoeae tribus indicationibus absolvitur :

1mo, Spasmodum vel obstructionem in extremitatibus vasorum uterinorum removendo.

2do, Actionem in vasibus uterinis excitando, quo sanguis ad illa derivetur.

3tio, Symptomata quae maxime urgent, amovendo vel mitigando.

Quae primae indicationi respondent remedia, sequentia sunt :

Venae sectio,

Generalis et

Topica,

Balneum tepidum,

Generale et

Topicum,

Emetica,

Antispasmodica,

- Opium,

Camphora,

Camphora,
Æther,
Affa foetida,
Moschus,
Castoreum, &c.

Secundae indicationi subserviunt

Stimulantia,
Cantharides,
Mercurialia,
Clysmata terebinthinata,
Arteriarum iliacarum compressio,
Epispaistica,
Myrrha,
Sabina,
Rubia tinctorum,
Melampodium,
Electricitas,
Venus.

Quae tertiae satisfaciunt indicationi va-
ria sunt, pro diversitate symptomatum ur-
gentium.

Venae-

Venaesectio.—Muitum de hujus remedii necessitate, de tempore quo adhiberi deberet, deque loco cui applicandum, inter medicos disputatum fuit. Varias vero practicorum hac de re opiniones prosequi minime lubet; quod autem nobis maxime arridet, id candide et quidem breviter exponemus.

Si phlogistica adsit diathesis, vel si vasa sanguine nimis turgida fuerint, mensiumque suppressio subito invaserit, *venaesectio* eum in finem omnino instituenda est, ut mali praeveniantur effectus, quos a distensione vasorum oriri novimus, et ab irregularibus in systemate motibus, a suppressione illius in utero actionis originem ducentibus, cuius in capite quo^d de symptomatum ratione agit, mentionem fecimus.

Scio autem pro certo, perversam illos methodum sequi, qui in omni subita mensium suppressione venam secandam jubent; enimvero in debilioris habitus mulieribus, ubi a terrore, aliisve animi affectibus, originem morbus duxerit, *venaesectio*, systema adhuc

adhuc magis debilitando, pertinaciorem, procul dubio, reddet suppressionem.

Ad locum, quo institui debet venaefectione, quod attinet, in brachio aptissime fieri affirmare nulli dubitamus; variis enim difficultatibus premitur haec operatio in pede celebrata, parum vero illam comitatur fructus. Venaefectiones topicae, hirudinibus, vel C. C. institutae, utiles fore probabile omnino ducimus.

Balneum tepidum.—Remedium vel laxans vel stimulans est balneum, idque proportione diversi caloris gradus. Ad 70° therm. Fahrenh. (vel paulo infra), corpori nostro applicatum, vires habet relaxantes; ad 80° vel 90° calefactum, sistema haud leviter stimulat; unde constat, in omni amenorrhoeae casu illud cum fructu adhiberi posse, modo ratio habeatur coloris gradus. Forma semicuppii maxime adhibetur, et, me judice, optima est illud applicandi methodus. Ill. Guliel. Hunter, (quem, dum haec scribo, mortalitatis exuvias deposuisse, tristis enunciat fama) vesicas calida aqua

cum furfure repletas, et lumbis, inguinibus, pubisque regioni applicatas, multis in morbo nostro effert laudibus. Vesicae hae in quamcunque formam redigi possunt; unde partes, quibus admotae fuerint, arcte amplectuntur, et sic aequabilem servant calorem. Supra vas, bulliente aqua repletum, si ita posita fuerit aegra, ut ad genitalia ascenderint vapores, vel, si ope infundibili utero applicaretur calidae aquae vapor, omnem quem a balneo expectare licet, obtineri effectum crediderim.

Emetica.—Ab antiquissimis temporibus ad hunc usque diem, adhibita ac laudata in amenorrhoea fuerunt emetica. Sunt tamen haud pauci qui, eorum in morbo nostro usum non solum negant, verum etiam eadem, circa menstruam periodum data, perniciofa esse ac deleteria contendunt, etsi in hoc morbo illud ipsum tempus caeterorum remediorum operationi praeprimis faveat. Si a nostra fas sit judicare experientia, emetica male omnino suppressarum mensium curationi adaptari diceremus.

Opium.

Opium.—Usque adeo inter medicos de antispasmodicis opii viribus convenit, ut in ea re explicanda tempus minime consumendum sit; illos autem casus monstrare oportet, in quibus hoc medicamentum optimo cum fructu adhiberi possit. Stimulando an sedando effectus suos edat opium, vehementer disceptatur; futilis vero admodum quum sit haec ipsa controversia, illam in medio relinquendam jure putamus. Id tantum monemus, quod, et si certo gradu stimulans esse opium non possimus non largiri, effectus tamen ab illo produci observentur, quos per stimulantes ejus vires (quae indirecte sedantes quibusdam audiunt) frustra explicabis. Sic apta dosi propinatum, somnum inducit; dum tamen stimulantium virium signa, non nisi parvum fuerit pulsus incrementum, spirituumque animalium tantilla excitatio. Opii porro in morbis inflammatoriis usus, stimulantes ejus vires valde esse transientes, et in sedantes cito mutari, luculenter probat. Notum est, liberali admodum in manu in inflammatorio

torio variolae, inque caloris intermittentium febrium statu, illud praescribi; nec non mature satis in pleuritide, idque bono cum effectu, opium propinatum ipse vidi; morbus certe, ubi stimulantia quaecunque perniciofissima forent. Verbo, stimulantes opii effectus sedantibus ejusdem viribus plus quam satis compensari, supponimus. In omni mensium suppressione, a terrore vel alio quocunque animi pathemate orta, opii usum suaderem, sperans fore, ut hoc modo praeternalis amoveretur mobilitas, et ad statum suum naturalem reducerentur functiones.

Ætber, Camphora, Assafoetida, Moscus, Castoreum.—Medicamenta haec, unanimi medicorum consensu, antispasmodica salutare licet. Castoreum, quod magnopere olim in amenorrhoea celebratum fuit, jam minus validum videtur antispasmodicum; ab hoc vero aequa ac a caeteris bonos expectare liceat effectus, modo largis satis administrantur dosibus.

Can-

Cantharides.—Horum in urinarios canales effectus satis superque cogniti sunt, multumque etiam de illorum in generationis organa vi, a variis auctoribus relatum fuit, quae, an a consensu, qui inter haec organa obtinet, et illa, quae urinae secretioni et excretioni dicata sunt, non facile dixerim. Quicunque vero cantharidum fuerit operandi modus, certo tamen constat, tales ab illis saepenumero observari effectus, qui cautum eorum suadeant usum. Quum autem lenioribus uti stimulantibus nobis concessum sit, a cantharidibus, violenti admodum stimulo agentibus, abstinentiam esse puto, usque dum usus eorum experientia magis confirmatus fuerit.

Mercurius.—Multis laudibus, nec immrito, hoc medicamentum in amenorrhoea extulerunt medici fere omnes. Novimus validas esse hujus remedii vires, si alio cuidam adjungatur medicamento, quod in hoc vel illud organum vim habet specificam ; hoc vero imprimis observatur, si antea per aliquod tempus solus exhibitus fuerit mercurius ;

curius ; e. gr. sub usu medicamentorum mercurialium, si frigus ori applicetur, copiosa excitatur salivatio ; si vel levissimum propinetur laxans, vehemens oritur cathartis ; hoc quoque modo, diuretica et dia-phoretica, mercurialibus mixta, diversos suos edunt effectus. Has ob rationes, mercurii hortarer usum, per aliquod temporis spa-tium ante consuetam mensium periodum ; sic enim mercuralia, totum systema aequa-biliter stimulando, unumquodque organum stimulo cuidam alio suscipiendo aptum red-derent. Stimulus igitur, post continuatim mercurii usum utero applicatus, illum facile ad actionem excitabit ; probe vero caven-dum, ne eodem tempore alia quoque stimu-lentur organa, ex. gr. glandulae salivales, canalis alimentarius, &c. unde vis stimuli, utero applicati, debilior evaderet, immo ex toto forsan subverteretur. Mercurialibus hoc modo per justum tempus in amenor-rhoea exhibitis, nifus ille in actionem, qui circa unamquamque menstruam periodum in utero oritur, ad menses ciendas sufficiens

faepe

saepe erit ; hoc autem deficiente, ad balneum calidum, vel alia stimulantia, confugiendum est ; omnibus vero aliis palmam praeripit electricitas.

Terebinthina, — quam in generationis organa vim quandam possidere specificam crediderunt haud pauci, in morbo nostro multum commendata fuit. Forma clysmatis optime convenit ; sic enim inflammatoria evitentur symptomata, quae internum ejus haud raro comitantur usum.

Arteriarum iliacarum compressio, ut remedium in amenorrhoea, a Doctore Hamilton proposita fuit. Parum vero fidei haec ipsa methodus adepta est, et illam omnino in medio relinquendam putamus, cum efficaciora dentur ac commodiora remedia.

Vesicatoria, ubicunque applicata, fluidorum ad illam corporis partem cui admota fuerint determinationem producunt, ibique vasorum actionem excitant ; delicatores vero mulieres longiori eorum applicationi raro semet ipsas subjicere volunt, nec commoda,

commoda, quae ab illis hoc in morbo expectare licet, dolori quem pariunt, respondent.

Myrrha, Sabina, et Rubia tinctorum. — Nostri certe est seculi gloria, ut multa eaque efficacissima, vel inventa, vel experientia confirmata fuerint medicamenta. Interdum vero studio decipiendi, saepius autem fallaci experientia vanitateque observationis factum est, ut summis laudibus decantata fuerint remedia, quae vel noxia, vel saltem inefficacia, oculatores invenirent judices. An medicamenta, de quibus jam loquimur, laudes illas promereant, quas illis tribuerunt medici quidam celeberrimi, multum dubito. Accidit quidem interdum, ut, sub usu rubiae tinctorum vel sabinae, menstruus eruperit fluxus; ejusmodi autem eventus, annon potius naturae beneficio, vel aliis remediis, originem debuerit, solcite inquirendum. Qui vero de his plura desideraverint, ill. Doctoris Home *Facta et Experimental Clinica* adeant, ubi, quae

quae cum illis pericula fecerit, pro more suo, hoc est, ingeniose exposuit.

Melampodium,—magnarum omnino virium medicamentum, a celeb. Mead magnopere celebratum fuit. Si sub usu hujus remedii, per naturalia non eruperint mentes, illas per alias corporis partes exitum sibi parare, summus hic vir contendit.

Si vero hoc aliquando acciderit, illud casui potius quam medicamenti viribus referendum putaverim. Fateor autem, non nisi reverenter admodum tanti viri testimonium in dubium vocari debere, praesertim cum aliis haud careat melampodium fautoribus. Retulit mihi amicus meus integerrimus, pereruditus Doctor J. H. Engelhart, Patrem ejus illustrem Suecicae Majestatis medicum, hoc remedium fausto cum eventu in amenorrhoea saepius propinasse. Permittas, quaeso, mi optime Engelhart ! ut publicam hanc arripiam occasionem meum in te declarandi amorem, agnoscendique, quantum utilitatis voluptatisque perceperim, non solum ex multifaria, qua gaudes, eruditione, verum etiam ex illibata quae nobis

intercedit amicitia, suavique quam tecum, per triennium fere, colui consuetudine.

Electricitas.—Haec aliis fere omnibus palmam merito praeripiisse videtur. Non solum efficax valde, verum etiam tutissimum est in morbo nostro remedium ; enim vero, mensium obstructionem non modo tollit, sed symptomatibus quoque, amenorrhoeam haud raro comitantibus, ex. gr. cynanche, labiorum tumori, lateris doloribus, &c. optime medetur *. In multis quidem casibus frustra adhibita fuit electricitas ; sed observandum est, dari amenorrhoeae casus qui nullam plane curam admittunt. Per scintillas e lumborum uterique regionibus extractas, perque succussus vi gradatim auctos, aptissime applicatur electricitas.

Venus.—Veneris exercitium lenem systemati stimulum praebere, spirituumque (si virum foemina adamaverit) miram inducere hilaritatem, bene notum est ; hinc mirum non est, tot tantaque de felicibus ejus in amenor-

* Vid. Birch's Cases.

amenorrhoea effectibus, apud auctores reperi testima-
ria. Quum vero furtivam Ve-
nerem vetet religio, vetent boni mores,
quumque medico, antequam etiam legitimam
suadere possit Venerem, large opus sit
capillamento, ingenti baculo, aureaque ta-
baci theca; juveni mihi nil amplius de hoc
remedio dicendum restat.

Remedia quae tertiae indicationi conve-
niunt occurribus symptomatibus accom-
modanda sunt; ideoque medici judicio re-
linquenda. De variis vero his symptomati-
bus, eorumque remediis, quo minus fusius
tractemus, vetant temporis quae nos in
praesenti premunt angustiae.

Absoluto sic, pro virili, opusculo nostro,
restat tantum ut Carolo Leslie, Armigero,
experientissimo Corcagiensium chirurgo, ob-
curam in me collocatam, summamque mihi
praestitam benevolentiam, dum per qua-
triennium chirurgicae arti, illo duce, ope-
ram darem, gratias agam maximas, calidif-
simas.

